

QR. 524,581

B. m. 119

HC
694

PRO
M. T. CICERONE
ADVERSUS
DIONEM CASSIVM
ET
PLVTARCHVM
DISSERTATIO

QVAM
GYMNASIO GORLICENSI SVPREMVM VALE
DICTVRVS
PVBLICE PROPONIT
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS
PIAM GRATAMQVE MENTEM
TESTIFICATVS
CHRISTIANVS ADOLPHVS KLOTZIVS,
BISCHOFFSW. MISN.

GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHFRERIANA

RIBLIOTHECA
POLICIAVIANA


UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



PRO
M. T. CIGERONE
ADVERSUS
DIONEM CASSIVM
P. L. V. T. A. R. C. H. V. M.
DISERTISSIMO

DUAM
GIMNASIO GOMMINSI SVPTREMVM VALE
DISTRICTVS
PVDICE PROGNIT
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS
PIAM GRATIAMQVE MERENTEM
TESTIFICAVS
CHRISTIANVS ADORPHVS KLOTZING
LEIPZIG, MDCCLXXII

GOMMICH,
EX OFFICINA BICKELSCHEIDTIANNA



Si, quantum in legendo expendendoque *Cicerone* studii adhuc posui, tantum nunc facultatis ingeniique ad eum laudandum defendendumque adferrem, nae ego partibus, quas mihi ipse imposui, praeclare defungerer. Maiora uero in *Cicerone* naturae, ingenii, uirtutis, doctrinae sunt ornamenta, quam ut digne quispiam illa possit laudare, nisi fortasse ipsum uel dicendo, uel faciendo exaequet. Quorum hoc si quis sibi sumat, aut *Ciceronem*, aut seipsum, ignoret, necesse est; illud qui, non dicam, assequatur, sed, quale quantumque sit, perspiciat, mihi quidem satis superque doctus uidetur. Vtrum igitur maiorem in difficultatem incurrat, negare amori meo in *Ciceronem* idem saepius suadenti, an efficere id, quod suadeat, ualde mihi dubium fuit. Retinuit diu aetas, retinuit, qui aetatem maxime ornat, et quem mihi mea natura tribuit, pudor. Etenim, rem, multis controuersis implicatam, tanquam ex tripode, solum diiudicare, contra eos disputare, qui plurimis in deliciis sunt, pro illius denique uiri fama dicere, quae per se immortalis est, neque a tam exilibus laudibus aeternitatem exspectat, cum inprimis arduum, tum uix eius esse arbitrabar, qui discere potius, quam docere

A 2

alios

alios debeat. Quid ergo est? Cum et poeta, qui
 artem pudere proloqui, quam factites
 uetat, me dissimulare non sinat, quod ualde *Ciceroni* de-
 ditus sim, neque, id quod inde efficitur, iniuriam ipsi illatam
 aequo animo possim ferre, et ego hoc tempore, quo mihi
 iis, qui iure poscunt, uitae ratio reddenda est, rem magis ex-
 periundi uoluntate, quam perficiendi spe aggrediar, facile
 veniam mihi dandam puto. Quemadmodum etiam patres
 filiolos balbutientes non inuiti audiunt, ipsisque illorum er-
 roribus delectantur, ita neque meam in dicendo infantiam
 bonis uiris, quibus hunc libellum, non ut *νήμα ἐς ἀέρι*, sed ut
ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρημα ἀνθέν, offero, spero fore mole-
 stam. Irascatur, si cui molestior est, ille *Ciceroni*, qui tam
 uehementer hominum animos capiat, ut quiduis potius ue-
 lint uideri, quam suum amorem non testificari, mihi, qui,
 me ab eo tam facile capi passus sim, ignoscat. At

Non tali auxilio, non defensoribus istis
 Tempus eget.

Scio. Verum idem etiam scio
 in medio omnibus
 Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
 Magnum opus est, et arduum. Quid uero amanti difficile?

II. Vix inde usque ab illo tempore, quo aliquis bonis litteris
 honos, aliquod pretium statui coepit, in quem tam diuersa
 hominum studia extiterint, praeter *Ciceronem*, quenquam
 inuenio. Diligere, amare, amplecti, laudare alii, quidam
 inuidere, odisse, contemnere, uituperare. Quid enim
 multa? *Gellio* quidem, qui *Ciceronem* parum integre, atque
 inconsiderate improprieque locutum esse dixerant, adeo sto-
 machum mouerunt, ut iis, qui de diis impias falsasque opi-
 niones prodiderint, illos conferre nullus dubitet. *Andreas*
 uero *Dudithius* ita se *Ciceronis* lectione delectauit, ita ani-
 mum pauit, ut omnes libros ter sua manu descripserit. Cui
 autem illa tempora inaudita sunt, quibus maius aiunt fuisse
 probum, *Ciceronianum* non esse, quam non *Christianum*.
 Erant

Thucyd.
 l. 22.

Noft. Att.
 L. XVII. i.

Koehler. de
 idol. litt.
 p. 134.

Salden. de
 libr. usu et
 abuf. p. 359.

Erant enim maiorum nostrorum aetate, qui, cum studium suum amoremque in *Ciceronem* testificari uellent, ad eius scripta, tanquam sirenios scopulos, adhaerescerent. (1) Equidem non infitior, cum in *Cicerone* ita omnis dicendi uirtus efflorescat, ut prouidentiae quodam dono natus esse uideatur, in quo omnes suas uires eloquentia experiretur, cum in uno *Cicerone*, quicquid in aliis, cum graecis tum latinis uenustum, quidquid egregium, quidquid magnificum sit, ita emineat, ut ipsius nomen pro oratore, et eius in dicendo facultas pro eloquentia optimo iure apud posteros recepta sit, non infitior, inquam, solum *Ciceronem* esse imitandum. Quin affirmo, tum demum in eloquentia quemque perfectum esse habendum, si ad eius exemplum quam proxime accedat. Optimum imitari si possis, ad mediocre animum adiicere, dementia est. Neque etiam pictor, si gustu quodam elegantiae imbutus sit, et *Raphaelis* aut *Rubensii* nitidas picturas sibi possit proponere, pingues aliorum tabulas dignabitur aspicere. Nimum autem λογιστάλοι illi uehementes et morosi erant, neque modum tenebant. Quamobrem lepide, si liberi quaedam spiritus, et aceto largius perfusa excipimus, ab emunctioris naris hominibus exagitati sunt. Quauis enim uocula ad illum *Nizolii* Lydium lapidem anxie examinata, *Ciceroni* inusitatum uerbum, ὡς περ μωροῦνας παιδάκια; timebant. Religioni sibi ducebant, uel latum ab ipso unguem discedere, et cum formulas, dicendique flosculos corraderent, quantiuis sibi uidebantur pretii. De eo uero, quod praecipuum est, de elegancia, quae non magis in singulis uerbis, quam in

Xenophon.
Hellen. 4.

A 3

(1) Pertinet huc Lazarus Bonamicus, quem, se magis uelle loqui, ut Cicero, quam Episcopi Romani dignitate fungi dixisse aiunt. Longe tamen prudentior illo fuit, qui, cum in epistola quadam *Ciceronis* legisset; accumbebam hora nona, nulla, nisi nona hora accumbere statuit. Vid. Dialog. festiuissimus, Cicero relegatus. Quibus addendus est Petrus Bembo, alias uir in scribendo elegantissimus, qui epistolis Pauli per contentum epistolacii appellatis, amico, ne eas si ad elegans scribendi genus adspiret, legat, aut, si legat, statim abiiciat, suauit. Salubre uero consilium et Cardinali dignum! v. Koecher. de idol. p. 156.



Politian. Ep. p. 201.
 toto orationis habitu spectatur, de uenustate, de urbanitate, de leporibus et acuminibus, quibus, ut insignibus in ornatu, oratio distinguitur, nihil cogitabant. Frustrillatim igitur stylum, quasi panem, mendicantes, ex illo libro, quem nunquam ex oculis, ex manu, ex sinu deponebant, ieiunam plerique, famelicam, aridam, strigofam, non illam succi et sanguinis plenam, contexebant orationem. Habeant sibi teretes illas et religiosas auriculas. Referat imitator *Ciceronem*, non, ut simia hominem, sed ut patrem filius.

III.

GeH.L.XVII. c. r.
 Dial. de orat. c. 18.
 Politan. Miscell. c. 1.
 Longe autem maior eorum est numerus, qui, tanquam pugnaces et lacertosi duces, et acie quasi instructa acerrimum *Ciceroni* bellum intulerunt. Qui utinam, quantum audaciae et impudentiae, tantum rationis ac prudentiae, ad hoc certamen attulissent! (2) Nam ut de utroque *Asinio*, patre *Pollione*, et *Gallo* filio taceam, quis nescit, *Ciceronem* a *Caluo* tanquam solutum et eneruam male audiuisse, a *Bruto*, tanquam fractum et elumbem, et ab aliis ut otiosum, inanem, redundantem, uno uerbo, *Asianum* ob felicem illam ubertatem fuisse reprehensum? Ridiculi uero homines, nec minus, quam illi, absurdi, qui in opipare apparato conuiuio nulla alia de causa stomachentur, quam quod omnia sibi laute, et suauius apponi uideant. Nihil dicam de *Licinio*, nihil de *Didymo*, nihil de *Argyropylo*, qui *Ciceronem* et *Graecarum* litterarum, si dIs placet, et *Philosophiae* ignarum fuisse

- (2) *Ciceronis* eloquentiam tantopere reprehendisse homines, non adeo mirum nobis uideri debet, si cogitamus, quo quisque illustrior fuerit ueterum auctorum, eo maiorem illum inuidiam subiisse. Quid non *Virgilio* contigit? *M. Vipranus*, ut *Donatus* in uita *Virgilio* refert, eum nouae *κακοζηλίας* repertorem appellauit, *Carbilus Pictor* librum scripsit, cui titulus *Aeneidomastix*. Alius frigide profecto de ecloga tertia iocatus est,

Dic mihi, *Damoeta*, cuium pecus? anne Latinum?
 Non, uerum *Aegonis*, nostri sic rure loquuntur.

Quidam, *Virgilio* in *Georgicis* dicente, Nudus ara, fere nudus, subiecit, habebis frigore febrem. Cui uero haec consideranti non illud *Comici*, *δότε μοι λεκάνην*, in mentem uenit.

fuisse dixit. Quid commemorem *Claudium Verderium*, quid *Scioppium*, quid magnum *Scaligerum*, qui se omnes *Ciceronis* de Philosophia libros, tanquam nihil continentes, quod demonstraretur et doceatur, nihili facere clamitat. Indignissimum sane diuino Scaligeri ingenio iudicium! An uero dubitabimus, magna quoque ingenia falli ac decipi? Nihil attinet, pluribus et ab instituta disputatione alienis exemplis uti. Quis enim ignorat, nonnullos, ira et audacia exacutos, eo impudentiae processisse, ut foedissimis criminibus effictis *Ciceronis* famae detrahere conati sint. Lubens eos, qui timiditatem, obrectandi studium, impudicitiam, et nescio quid ipsi obiecerunt, praetereo. Quid enim egerunt? aut maximo conatu maximas nugae, aut ego uehementer erro.

Scaligerana,
P. 93.

Cum *Dione Cassio* et *Plutarcho*, qui inter *Ciceronis* obrectatores, ut

IV.

inter uiburna cupressi,

eminent, mihi res erit. Nam cum ambo praecipue in hoc multi sint, ut *Ciceronem* nimiae gloriae cupiditatis, et immodici iactandi studii accusent, repellam istam ab eo iniuriam et defendam, sed QVIBVS SCIAM POTEROQVE, i. e. quantum aetatis imbecillitas, et mediocritas ingenii permittet, *Ciceronem*.

Age uero, ipsam illorum audiamus orationem. *Dio* quidem, non si ab aliis laudabatur, ait, maxime delectatus est tantum *Cicero*, sed seipsum etiam laudauit. Idem alio loco, maxime se inter homines, inquit, iactauit, neminem sibi putauit parem, omnesque et in uita, et in consiliis spreuit. *Calenus* autem, sub cuius persona *Dio* omne acerbitatis uirus in *Ciceronem* euomit, quid ille gannit quid uult? quid clamitat? *Ciceronem* clamare publice, scelestasque (3) illas uoces, ego solus uos amo, ego solus uobis faueo, iactare.

V.

L. XXXVII.
p. 136. edit.
Reiman.
L. XXXVIII.
p. 158.

L. XXXXVI.
p. 456.

Sicci-

- (3) Dicit *Dio* *μαρὰς λόγους*, quod quidem uerbum in hanc uirtutis praestantiam minime cadit. Reimarus, V. Cl. interpretatus est, puridas uoces. Caeterum de hac uoce vid. Suidam, T. II. ed. Kust. p. 558.

Siccine agis? an ego toties de eadem re audiam?

T. I. ed. Frœf. Quid uero *Plutarchus*? Acerbior sane et impudentior est
 p. 863. *Dione*. Mirificam, inquit, ex sua laude cepit uoluptatem,
 et uehementi gloriae cupiditate flagrauit perpetuo, quae
 p. 812. multa eius praeclara consilia frequenter interpellauit (4).
 item: Nullo quidem ille scelere, sed quoniam ipse se lauda-
 bat, perpetuoque gloriabatur, in multorum incurrit odium.
 Neque enim quisquam uel senatum, uel concionem, uel iu-
 dicio adibat, quin de *Catilina* et *Lentulo* audiret. Atque
 etiam libros et scripta suis compleuit laudibus, et dulcem
 orationem hac re odiosam reddidit.

Ah!

Aufsculta, ne me obtundas de hac re saepius!
 Sed uidete, quid inuidia efficiat? Dum *Ciceronem* et *De-
 mosthenem* inter se comparat, eadem profert. *Ciceronis*,
 p. 887. inquit, immodica sui praedicatio nimiam indicat ambitio-
 nem. Clamat enim,

Cedant arma togae, concedat laurea linguae,
 Nec sua tantum facta, sed orationes etiam et scriptas et ha-
 bitas extollit. Haecenus *Plutarchus*. Neque hi tantum,
 sed quoque *Sallustius*, aut quisquis ille fuit, qui declamatio-
 nem illam ineptam, neque Latinam (5) fatis, neque omnino
Sallustii ingenio dignam, conscripsit, et alii, quos taceo, idem
Cice-

(4) Disputant interpretes de hoc loco. Mihi uero Henrici Stephani,
 quem etiam secutus sum, potior sententia uidetur. Vid. ipse
 notas ad h. l.

(5) Multis uerbis de hoc disputauit Corradus, Vir magnus, in *Quæstu-
 ra*. Ac qui plura addere uellet, *Iliada* sane, ut aiunt, scriberet
 post *Homerum*. Singula enim uerba tam accurate examinat, ut,
 recentioris quendam aetatis hominem has orationes *Ciceroni* et
Sallustio affinxisse, facile pateat. Quod ut credamus, aliorum
 etiam nobis persuadent mores. *Sigonius* certe, librum in filio-
 lae mortuae solatium a *Cicerone* conscriptum, se reperisse simu-
 lans multis fucum fecit. Deinde uero, cum docti quidam uiri,
 qui

quid dissent aera lupinis
 nouerant suspicarentur, ipsum *Sigonium* hunc librum scripsisse,
 eos rem acu tetigisse confessus est.

Ciceroni crimini dederunt. Quid uero? si ostendero, falsum, commenticium et ab inuidia ortum esse hoc crimen, atque *Ciceronem* non potuisse tantum, sed debuisse etiam suas laudes enumerare, tamemne pergemus ipsum reprehendere?

Atque ut ab illo incipiam, consideremus primum, an idonei, an graues satis sint testes illi, quos adduximus? an liberum habeant a partium studio animum? Quod, nisi Graecorum indolem penitus ignoret, haud facile quisquam affirmabit. Litterarum quidem illa natio studia, non testimoniorum religionem, non fidem coluit. *Cicero* sane, *Quintum*, Fratrem, quibus credat, quos caueat, amanter docens, diligenter ipsi Graecorum familiaritates uitandas esse monet.

Grauis ingenium, Grauis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Venuste dicebant, eleganter, urbane, copiose, non libere, non aequae, non uere, non ita, ut, cum praecipue de *Cicerone* loquantur, testimonium ab iis repetendum sit. Etsi enim Graecia a Romanis armis uicta erat, eadem tamen Romanos litteris uincebat. Debemus Graeciae, omnis altrici elegantiae, omnis leporis ac uenustatis magistrae, omnis eruditionis nutrici, inuentionem perfectionemque artium. Quae quodcumque scripsit, ut elaboratum omne illud industria! ut perfectum ingenio! quantis leporibus, acuminibusque distincta, quanta urbanitate quasi colorata oratio! quanta uis in oratoribus! quanta suauitas in poetis! quam subtilis popularitas in philosophis. Non igitur aequo animo ferebant Graeci, litteras agresti Latio esse illatas, et tanquam arbores in foecundum solum translatas maxime florere. Dolebant istam, quam ab antiquissimis usque habuerant temporibus, eruditionis gloriam sibi eripi. Eripuit tamen *Cicero*, et solus quidem eripuit. Quanquam enim Roma aliis etiam uiris affluebat, qui Graecis palmam dubiam facerent, *Ciceroni* tamen non pares putandi erant. Erat in ipso summa uis *Demosthenis*, *Platonis* copia, *Isocratis* suauitas, dulcedo *Xenophon-*

B

VI.

Cic. p. Flacco, c. 4.
Ep. ad Fr. L. J.
ep. 1.

Horat. A. P.
r. 323.

Plut. T. I. *phontis*. Quam uera igitur ista *Apollonii* uox: Miseret me
p. 863. Graeciae; quae enim sola nobis restabant ornamenta, litte-
rae nimirum et eloquentia, ea te, *Cicero*, uideo ad Roma-

Horat. A. P. nos transtulisse. Quid igitur mirum, Graecos,

324.

praeter laudem nullius auaros,

Ciceroni inuidisse? in eum, quasi *Catilinas* coniurasse? et cum uera non haberent, falsa finxisse? Hinc illae lacrumae nimirum, et haec causa est, cur tam grauius Graeci *Ciceronem* reprehendant. Legat mihi aliquis *Dionem* et *Plutarchum*, et animum illum, maxima in *Ciceronem* maleuolentia suffusum, facile cognoscat. Quam parcus uterque in rebus, quae ad laudem *Ciceronis* spectant! Quam prodigus autem in eo reprehendo!

VII.

Neque doctissimorum uirorum a meo diuersum fuit iudicium. Quorum uerba, cum maiorem eorum auctoritatem ac meam fore uideam, adicere non dubito. Primas autem tribuo *Shaftesburio*, Anglo, cuius uerba, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi, interpretabor. Quod uero contra hunc, (*Senecam*) memoriae proditum est, inquit, illud a ridiculo, et dementi Historico, *Dione Cassio*, aularum adulate, omniumque ingenuorum et generosorum Romanorum aduersario eo tempore factum est, quo, uirtute et scientia extincta, omnia barbaries, id quod ex illius scriptis patet, occupauit. (6) Haec *Shaftesburius* tanto quidem locupletior testis, quanto elegantior ingeniorum spectator. Cui addendus, qui propter euiden-
tiam rei poterat omitti, ob auctoritatem tamen nominis accedat, *Sallierius*, Gallus. Nullum ille unquam historicum magis

(6) Operae pretium erit, quoniam in Anglicis uerbis ea uis et elegantia est, quae uix in Latino sermone exprimi potest, ipsam *Shaftesburii* orationem adscribere. And what has been delivered down to his prejudice, is by the common Enemy of all the free and generous Romain, that apish shallow Historian and Court-Flatterer, *Dion Cassius* of a low Age, when Barbarism (as may be easily seen in his own Worck) came on apace, and the very Traces and Features of Virtue Science and Knowledge were wearing out of the World. *Characteristicks*, Vol. III. p. 24.

magis Dione se odio et praeiudicatis opinionibus dedisse arbitratur. Considerandum esse, quam uehementer in XLVI. libro aduersus Ciceronem declamet. Summas ingenii dotes, et maximam dignitatem, non scelera, quae in illa oratione commisisse dicitur, huius reprehensionis causas esse (7). Vidit hoc etiam *Corradus*, uir elegantissimi iudicii. Nam in aureis illis de *Ciceronis* uita dialogis et *Dioni* parum, uel nihil potius in his rebus credendum esse monet, et *Plutarcho* foedissimos errores obiicit. Neque tamen opus est, ut in congerendis testimoniis curiosior, et nimis anxius, formicae in modum, sim, quae

p. 50.
p. 16. 35. 165.

Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo.
Propius accedam.

VIII.

Ignoscendum est, ut cum Luciano loquar, si, homo cum natus esset, gloriam appetiuit, suauissimam rem, et cuius gratia quibus nostrum maxima pericula subire cupit. Omnes enim, qui ubique sunt, ita a natuta sunt facti, ut ex aliorum de se opinionibus uoluptatem taediumue capiant. Quod iam in pueris cernimus, in quibus, tanquam in speculis, minime infucata naturae imago apparet, qui, si generosioris sunt indolis, laude, quasi calcari, ad industriam indefessumque studium excitantur. Iidem etiam, si obiurgantur, erubescunt, oculosque in terram deiiciunt. Hinc fit, ut magni uel dicti uel facti alicuius lectio magnas etiam nobis cogitationes suggerat, animumque ad altitudinem erigat. Quis enim, si quidem adhuc aliqua ingenui animi scintilla residet, mortem *Socratis*, ut hoc utar, aut illa, quae *Cicero* L. I. Tusc. Quaeest. c. 42. commemorat exempla, quaeque ex animo illo magno proflexerunt, qui supra humana datus

T. I. ed.
Graev. p. 322.

B 2

neque

- (7) Jamais Historien ne s'est livré plus ouvertement à la seduction de la haine & de la prevention. Il suffit de jeter les yeux sur l'investive, que dans son XLVI. livre il fait declamer contre Ciceron. L'éclat des talens & la grande reputation de ce Romain lui ont attiré ces reproches plutôt que les maux, dont on l'accuse dans ce discours d'être l'auteur. Mem. de litterat. de l'Academ. des Inscript. & bell. lett. T. VIII, p. 228.

neque a diuitiarum splendore, neque illecebris uoluptatis, neque fortunae impetu uinci potest, quis ea, inquam, legat, quin una animo efferatur, atque ad illam magnitudinem aliqua ratione assurgat? Quid ita? quia natura nobis igniculos quosdam gloriae dedit, studiumque laudis inseruit. Si uero, cur ex laude tantam uoluptatem capiamus, miramur, probe notandum est, laudem nihil esse aliud, quam perfectionum enumerationem. Cum uero perfectionis sensus animum nostrum maxima uoluptate perfundat, (ipsa enim uoluptas per perfectionis sensum a philosophis explicatur) eoque tempore, quo perfectiones nostrae commemorantur, easdem etiam sentiamus, facile intelligimus, cur nos tam suauiter laus afficiat. Ex quo patet, cur tantopere laudem appetamus. Omni enim impetu animi in illud ferimur, quod iucundum, dulce, gratum est, nobisque uoluptatem affert. Praecipue uero, quo quisque maioribus ingenii dotibus affluit, eo ardentius gloriae studio ducitur. Quotus enim quisque est Graecorum uel Romanorum poetarum, i.e. hominum, in quibus summa ingenii uis eluxit, qui ab hoc abhorreat? (8) Quis in *Pindari* et *Euripidis* carminibus tam parum uertatus est, quin Mos uehementer hoc adamasse sciat? Quale hoc est *Ennii*

uolito uiuū per ora uirum,
et illud Venusinae lyrae

Sublimi seriam sidera uertice,

Animus sane excelsus, nobilis, magnus ut leues fallacis gloriolae umbras fugit, ita nec ueram ac iustam gloriam respuit.
Quo-

(8) Multa passim occurrunt exempla, e quibus memoranda uidentur *Lucret.* L. IV. 1-17. ac *Lib. I.* 14. et *Virg.* L. III. *Georg.* v. 8. et 289. *Quid.* *Amor.* C. III. *Eleg.* 14. Quod etiam strenuus horum imitator, *Hieronymus Vida*, in hymno *Deo Opt. Max.* sacro expressit. Quid? quod ipse *Quintus* de se illud fatetur

Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis?

Hoc uotum nostri summa laboris habet.

Quid. de art. amana. L. III.

Quomodo etiam alias *Cicero* coram ipso *Caesare*, illum au-
 ditissimum esse gloriae, dicere, et ad populum dicens Roma-
 nos inde laudare potuisset, quod appetentes semper gloriae
 praeter ceteras gentes, atque auidi laudis fuerint? *Leuis*
 est contra animi, fordidi, pusilli, famam infamiamque iuxta
 aestumare. Qua etiam ratione homo, qui uoluptatibus du-
 citur, et se uitiorum illecebris cupiditatumque lenociniis
 dedit, illam uitam capiat, quam alit posteritas, quae homi-
 num uiget memoria, quam ipsa aeternitas tuetur? Non
 cadit ardor ille in angustiam pectoris, in leuitatem, in ege-
 statem animi. Neque frustra a natura laudis amor animis
 inlitus fuit. Bene illa humano generi consuluit. Cupiditas
 enim gloriae, ne quidquam agamus, prohibet, quod famae
 noceat. Bene agere omnis est gloriae fundamentum.
 Laudis igitur cupidus in omni actione suscipienda, quid de
 ea dicturi, iudicaturique sint homines, cogitat. Quod nisi
 natura prouidisset, multi sane, quibus nihil non modo ad
 commode uerum etiam laute uiuendum deest, longe uolu-
 ptates abdominis illis anteferrent, quas ex bene actae uitae
 conscientia percipimus, multi etiam in omne uitiorum
 genus effusi, turpissima scelera committerent. Sed et illos
 extimulat ad bona, et hos a malis retinet cura famae. Quod
 si etiam quis inter Christianos eos reprehendat, qui laudis
 tantum amore bene agunt, me non inuito id facit. At
 Ethnicorum longe alia res est. Nam, quod illorum animis
 nondum diuina illa religionis lux, quae nobis, affulserat,
 aliis etiam rationibus ad bene agendum adducerentur, ne-
 cesse erat. An uero acriores erant stimuli, quibus ad res
 magnas excitarentur, quam quos gloriae cupido subdebat?
 an alia re uitae suae breuitatem consolari poterant, quam
 posteritatis memoria? Quis igitur *Ciceroni* succenseat, si
 naturae uocem audierit, illiusque ductum sit secutus? aut
 quis illum reprehendat, si uera illa et regia uia, recta scilicet
 faciendo, et honesta, ad laudem contenderit? si non ipsam
 expetuerit per se gloriam, sed ea studiose egerit, ex quibus
 uera gloria nascatur? Ipsum audiamus *Ciceronem*. Equi-
 dem primum, ut honore dignus essem maxime semper la-
 bora-

p.m. Marcel-
 lo, c. 8.
 p. leg. Manil.
 c. 3.

L. XV. ad
 Fam. ep. 4.
 p. Plancio,
 c. 40.

boravi, secundo ut existimarer, tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honos. Cui *Socratis* illud prope simile, proximam compendariamque ad honorem et gloriam esse uiam, si quis id ageret, ut, qualis haberi uelit, talis esset. Age uero in aciem tandem dimicationemque ueniamus. Ista enim pompae magis, quam pugnae.

Nunc uideamus, cuius
mage sit penetrabile telum?

IX.

Sane non sum is, qui neget, crebram a *Cicerone* suarum laudum mentionem fieri. Verum idem etiam illud contendendo, si unquam ullus homo iure se laudare potuerit, *Ciceronem* potuisse. Quod ut intelligatur, pauca mihi de eius magnitudine singularibusque laudibus dicenda esse uideo. Etsi natura raro tam prodiga est, ut se totam profundat, in *Ciceronem* tamen omne fere, quod habuit, contulit. Quid enim ipsi defuit, quod ad summum uirum requiritur? Ingenium? amoeno, uiuido, erecto ipsum natura ad summa quaeuis armauerat. Memoria? maximarum gentium nationumque res gestas, omnemque antiquitatis memoriam habebat cognitam, ex qua, si quando opus erat, locupletissimos testes excitabat. Industria? si qui dies etiam ad rusticandum dati erant, ad eorum, quae scribebat, accommodabat numerum. Iudicii, acrimonia? Philosophiam, quae ad illa usque tempora iacuerat, excitabat primus, latinisque illustrabat litteris. Ne igitur miremur, cum ea esset ingenii uis ac praestantia, nihil ut esset tam difficile atque arduum, quod, si animum intenderet, non potuisset complecti, ea uero industria, ut uel in otio minime otiosus esset, nulla in laudis mediocritate constitisse *Ciceronem*. Quid? non melle dulciores sunt eius de oratore dialogi, maximaque suauitate perspersi, eaque non multo sudore quaesita, sed quae a rebus sponte oblata, non posita consilio, sed fortuito scribenti excidisse uideatur? Quid uero? quod *M. Antonius Sabellicus*, aliique superioris aetatis uiri, collapsa, hominum dicam an temporis iniuria? elegantiora studia ex iis libris, tinea blattisque a *Guarino* ereptis reuiuiscere coepisse, dicunt,

cunt, quale illud quantumque esse oportebit? Quid? non ita perspicui, ita copiosi, ita uenusti sunt de Philosophia libri, nihil ut iis elegantius esse possit? tantum abest, ut sitcitatem illam adamarit, cui

pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

De orationibus uero, iis praefertim, quas in *Verrem*, in *Catilinam*, in *Antonium* habuit, quid dicam? Mihi quidem non secus ac Pericles tonare, fulgurare, cuncta rapidis eloquentiae fluctibus prosternere, et illum ex aliis scriptis cognitum *Ciceronem* longe uidetur superare. Estne magni oratoris, omnes animorum motus, quos rerum natura hominum generi tribuit pernoscere? pernouit. Illos, quotiescunque libuerit, excitare? Excitauit. Si quando opus sit rursus sedare? sedauit, splendorem uerborum et copiam cum respondendi et laceffendi subtili uenustate et urbanitate coniungere? coniunxit *Cicero*. Quis enim tam ferreus est, quin illo ardente, non exardescat, illo cohortante, non permoueatur, illo suadente, obtemperandum non putet, illo querente, non doleat? De quo et ille sublimis sublimitatis magister, *Longinus*, et *Fenelonius*, *Gallus* ita scriperunt, ut quasi certamen aliquod inuierint, uter sublimius splendidiusque possit dicere. Neque nobis tamen quidquam ex orationibus *Ciceronis*, quam

Orat. c. 9.

Sect. XII.
P'Art Rhet.
p. 46.

mutum et sine sanguine corpus,

ut ita dicam, superest. Verba quidem legimus, ea uero, quae maxima erant, gestus, motusque corporis, ac pronuntiationem non possumus cernere. Quod si esset, quaeremusne adhuc eum locum in oratione pro *Ligario*, quo recitato *Caesar* toto corpore contremuit? Jam uero in epistolis nonne excellens illud *Ciceronis* ingenium totum licet exofculari? Quanta orationis copia! quanta in dissimulandis ornamentorum, artificii prudentia! quanta reipublicae peritia, quanta humanitas. (9) Quae quidem omnia, quin

(9) Multa de epistolarum *Ciceroniarum* praestantia inuenies in *Orat.* XVI, P. II. Mureti.

ita sint, nemo, qui *Ciceronem*, non ut uerba, dicendi formulas, et antiquos ritus discat, legit, sed ut easdem ingenii uirtutes sensim ex eo trahat, bonamque mentem excitet, alat, roboret, dubitabit. (10) Etsi uero magnum est, unum hominem, eumque maximis negotiis obrutum tot tamque elegantes libros, quorum magna pars nobis temporis iniuria erepta est, scripsisse, maiora tamen sunt, quae in republica gessit. Dextra *Ciceronis* non minus gladium quam stylum tractauit, et illius aures tam tubarum strepitu, quam iucundis Musarum uocibus circumsonuere. Quam multis enim erga rempublicam officiis ad praeclarum PATRIS PATRIAE nomen ascendit! Non errore hominum, non fumosarum imaginum commendatione ad honores obrepit, sed ipse potius amplitudinem generis, quam non acceperat, posteris tradidit. Animum sane in caritate patriae ita infixum habuit *Cicero*, cui patriae salus iucundior, quam conspectus fuit, ut cum furore inimicorum expulsus esset, non tam *Ciceroni* patria, quam patriae *Cicero* ereptus esse uideretur. Neque enim nouerat Roma tantum uirum, nisi absentem nesciebatque, quantum in eo positum esset, nisi caruisset ipso. Nam ad illud *Ciceronem* natura pepererat, exercuerat uoluntas, seruauerat fortuna, ut non minus illi Roma deberet, quam *Romulo*. Ut enim illud taceam, amantissimum reipublicae ciuem, temperatissimum Quaestorem, prudentissimum Aedilem, constantissimum Senatorem, Praetorem iustissimum, sanctissimumque Consulem *Ciceronem* fuisse. Commune hoc ipsi fuit cum aliis, paucis quidem, sed commune tamen. Maximis autem se pro patria periculis obicere, omnes acerbitates doloresque pro Romano-

(10) Digna est, quam adscribam, Phil. Melanchthonis uox: ego uel obscura *Ciceronis* lineamenta malim, quam natiuam Gellii et Politiani faciem. Rhetor. L. II. Guilielmus autem Saldenus, autor non contemnendus, se, quae uilissima quis habeat in *Ciceronis* scriptis multo maiore cum uoluptate legisse et perlegisse, inquit, quam nobilissima quaeque et praestantissima, quae in obscuris Apuleii μεταμορφώσεων, et de Asino aureo, (cum quo Melanchthoni Apuleius rudere uidetur) libris multi putent delitescere. De libr. us. et abus. p. 127.

rum salute fortiter libenterque perferre, auertere sceleratorum impetum a republica, opprimere audaciam, furorem extinguerre, incensione urbem, internecione ciues, uasitate Italiam, interitu rempublicam liberare, atque omne illud sine delectu, sine armis, sine exercitu, sine sanguine perficere, illud fuit *Ciceronis* proprium. Infinita foret, si, quaecunquē huc spectant, et uellem et possem dicere, oratio. Quare *Timantem* imitabor. Quod penecillo exprimere nequeo, uelo contegam. Quaero autem ex iis, qui *Ciceronem* accusant, quid causae sit, cur non ille, qui unus togatusque populum, totum terrarum orbem, i. e. maris mediterranei latissimum circuitum sub imperio tenentem, quam minimo detrimento saluum praestiterit, quem ab eodem populo Conseruatorem, Liberatorem et primum Patriae Patrem appellatum, et domum pergentem uniuersus Senatus et populus profecurus sit, cui soli denique Romani, ut aliis pecuniam, manubias, potentiae incrementum, sic salutem securitatemque debere fassi sint, cur non ille sua merita potuerit commemorare? se reipublicae populoque fauere, et de ciuibus bene meritum esse dicere? et illas narrare Nonas Decembres, quibus ipsi tam insolitus honor contigerit? Nullum aliud uirtutis praemium, nullum insigne honoris, nullum laudis monumentum postulabat, praeterquam eius diei memoriam sempiternam. Sed modestior etiam *Cicero* est, quam fortasse putant. *Catilinam* enim sua quidem diligentia, sed senatus auctoritate, populiue studio et uirtute fractum esse fatetur. Diis etiam, sibi paucis relictis, plurimum tribuit, et illis ducibus se eam mentem uoluntatemque suscepisse, et ad tanta dicit peruenisse indicia. Ego uero sibi ipsi detrahere, laudemque cum aliis communicare, uix ambitiosi esse puto.

Plutarch.
T. I. 87.

in *Catilin.*
III. c. 11.

Philipp. IV.
c. 6.
p. Sulla c. 14.
in *Catil.* III.
c. 9.

X.

Deforme igitur quidem est, ut *Cicero* ait, de se ipso praedicare falsa praefertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum, sed, *Valerio Maximo* auctore, laudanda etiam fiducia est, quae aestimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum a contemtu et insolentia distare

fatis

C

fatis est. Absit secundum *Theophrastum* προσδοκία τινῶν ἀγαθῶν
 ἐκ ὄψεως, sed absit etiam illa uirginalis uerecundia (δυσωπία
 Graecis dicta) et subrusticus pudor, quo, quicumque, si uel
 res iubet, et temporis ratio postulat, et si uere hoc possunt
 facere, sua bona tacent, laborant. Qua de causa laudandi
 sunt illi Historici, qui aliquid de suis rebus, iis, quos edide-
 runt, libris, admiscuere. Quod nisi *Suetonius*, *Tacitus*, *Vel-
 leius*, *Ammianus*, alii obseruassent, non plura de illis, quam de
Iustino, *Mela*, *Curtio*, cognita haberemus. Atque ego multo
 magis eos plerumque superbiae et gloriae auuditatis accu-
 sandos esse censeo, qui eas, quibus ornati sint, uirtutes ipsi
 extenuant, et, dum se super omnia humana elatos esse simu-
 lant, minime popularis aurae captatores uideri uolunt. Eo
 enim ipso tempore, quo se maximos gloriae contemtores
 ostendere cupiunt, uehementissime ipsam appetunt. *Socra-
 tes* quidem *Antisthenem*, qui, quod in ἀτυφία summum bo-
 num posuit, obuiis laceram pallii partem obuertit, ita ob-
 iurgauit, ἔρῳ σὲ διὰ τρίβωνος κενοδοξίαν. (11) Quid uero
 Laert. L. VI. *Plato* *Diogeni* stragula pretiosiora conculcanti, et πατῶ τῆ
 Πλατῶνος κενοσπαδίαν clamanti, respondit? ὅπου, ὦ Διώγετες,
 dixit, διαφαίνεις τύφῳ, δοκῶν μὴ τετυφῶσθαι. (12) Erat enim
 ille quorundam Graeculorum Philosophorum mos, ut pro-
 missa barba, lacero pallio, maximaque illuue sapien-
 tiaie studium prae se ferrent, (13) nec aliter, quam illa
 Pacuui

Laert. L. II.

Laert. L. VI.

Cic. de diuin.
II. c. 65.

tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
 Capite breui, ceruice anguina, adspectu truci,
 testudo, incederent. Quare et a *Luciano* acerbissime sunt
 ex-

(11) *Aelianus* L. IX. Var. Hist. c. 35. Socratem ἔ παύσῃ ἐγγκαλλῶ-
 πιζόμενος ἡμῖν; dixisse commemorat.

(12) Alii dicunt Platonem ad *Diogenis* πατῶ τὸν Πλατῶνος τύφῳ,
 ἐτέρῳ γε τύφῳ respondisse.

(13) De hoc uide plura in *Juuen. Sat. XIV. v. 12.* *Dan. Heinsii* L. II. de
Satyr. Horat. Gellii. N. A. L. I. c. 2. ac L. XVII. c. 19. et *Causabon-
 num, ad Sueton. Augustum, c. 74.*

exagitati, et *Herodes* quidam *Atticus* eiusmodi Philosopho, Gelli. L. XI. cur non statim cognosceretur, miranti, uideo, dixit, barbam c. 2. et pallium, philosophum nondum uideo. Sed ad propositum reuertar.

Quid si etiam *Cicero* debuit suas laudes enumerare, si propria suorum meritorum mentio ipsi dura necessitatis lege extorta est, reprehendendumne illud? immo uero summo-pere probandum. Nam, ut a *Quintiliano* amentatas hastas L. XI. c. 1. cacipiam, non sine aliqua ratione illud fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione, aut respondebat inuidiae, ut uideri possit illorum, quae egerat in consulatu frequens commemoratio non gloriae magis, quam defensionis data. Ipse etiam *Plutarchus* si uel calumniae et depellendae accusationis gratia haec faciat, uel si recte eius facta culpentur, ut se ipsum laudet orator in eo libro permittit, in quo mihi nescio quid de sui laude T. II. p. 540. philosophari uoluisse uidetur. (14) En! quam belle tibi sententiam dixeris, *Plutarche*. Longe enim profecto alia fuit olim eloquentiae ratio, ac nostra aetate uulgo homines credunt. Non tum in umbra tractabat subtiles et tenues res, nec, quae fuerit *Hecubae* mater, aut quid *Sirenes* cantarint, indagabat. Versabatur eo tempore orator, i. e. uir insigni rerum ciuiliu usu instructus in republica, in celebritate populi. Agebat cum eo de grauissimis rebus, quae ad opes, uitam, salutem cum singulorum ciuium, tum uniuersae spectabant reipublicae. Regnabat in iudiciis, dominabatur in foro, et primas tenebat in deliberationibus, de imperatoribus deligendis, de inferendo bello, de rogandis abrogandisque legibus, aliis: Ex quo etiam patet, quantum alatur otio et libertate inprimis eloquentia. Neque enim ante secundum Punicum bellum, neque post *Caesaris* imperium C 2 ualde

(14) Mirum profecto est, quod *Plutarchus* in eo ipso libro, in quo, quando liceat se ipsum laudare, (*περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἐπαγγελίης ἀνεπιφθόνος*) disputat, rursus *Ciceronem* accuset. Illum enim nulla urgente necessitate, gloriae tantum cupiditate adductum sua merita enarrasse inquit. T. I. p. 541.

ualde probabiles oratores Romae exstiterunt. Namque ingenia hominum etsi nostra aetate nihilo deteriora sunt, quam olim, nunquam tamen orator *Demosthenis* et *Ciceronis* in dicendo uim nanciscetur, nisi in eodem, quo illi, campo possit excurrere, nisi eadem sit libertas cuius, quod uideatur, dicendi, et in rebus ad rempublicam pertinentibus, suam exponendi sententiam, uno uerbo, nisi pristina tempora redeant. Olim uero, omne in hoc positum erat, ut persuaderet orator. Quod nisi se uirum bonum esse ostenderet, nullo modo fieri poterat. Necessse erat, ut omnes, qui audirent, se prudentem, probum, et beneuolum uirum audire crederent. Quidquid obiiciebatur calumniae, diluendum docendumque erat, se bene reipublicae uelle, et recta utiliaque suadere. Iam uero in *Ciceronem* saepius ab aduersariis ea dicebantur, quae nisi suarum laudum commemoratione refutasset, non causam potuisset obtinere. Ipsas perlustremus orationes, in quibus *Cicero* suorum meritorum mentionem facit.

XII.

Nam, ut ordinem sequar, cum Siculi, ut *Cicero* suarum fortunarum causam defensionemque contra *Verrem* susciperet, rogarent, et *Q. Caecilius* potius se accusatorem constitui oportere contenderet, *Ciceroni* suam in dicendo facultatem, suam innocentiam, et uitae integritatem commemorandam fuisse, quis non uidet? Quod tamen admodum parce facit. Quid efficere possit, in aliorum spe, quam in sua oratione mauult ponere. De ingenio autem nihil dicit, neque esse, quod possit dicere, putat. Magis uero in eo elaborat, ut *Caecilio* detrahat, quam ut sibi multa arroget. Quas in *Catilinam* habuit *Cicero*, praetereo orationes. Non quod nulla in his ab ipso suarum laudum mentio fiat, sed quia nemo, qui eorum temporum historiam teneat, necessarium illud fuisse, non concedet. Nescio etiam, quomodo ad eam, quam pro *P. Sulla* dixerat, festinet animus, siue quod maximam oratoris uim in ea explicet, siue quod plurimum homines offendat. Voluerat accusator leuitatem *Ciceronis*, inconstantiam, et nimiam in iudiciis potentiam in inuidiam adducere. Quantum enim de auctoritate
Cice-

Diuinat. c. 8.

c. 11.

Ciceronis diriperet, tantum si quoque de praesidio *Sullae* de-
 minuturum esse sperabat. Accusabatur *P. Sulla* de coniura-
 tione, a cuius societate cum ipsum abfuisse *Cicero* ostende-
 ret, enarranda erant, quae illo tempore acciderint, omnia.
 Coniungit igitur *Cicero* cum periculi propulsatione a *Sulla*
 sui defensionem iudicii. Nec magis quam *Demosthenes* (15)
 et iustum putat et necessarium de se dicere. Dicit etiam
 amplissimis uerbis, et diuina prope orationis uirtute ac ui
 utitur. Iam in oratione pro domo sua ad Pontifices magni-
 fice multa de se ipso criminis depellendi, non asciscendae
 laudis causa praedicat. Etenim cum *Ciceroni* furta, libidi-
 nes, largitiones a *Clodio*, impudentissimo homine, obiectae
 essent, quid, uel ipso *Plutarcho* iudice, magis necessarium
 erat, quam ut consilia, labores, pericula, quae pro patriae
 salute subierat, commemoraret. Qua etiam re magis ani-
 mos auditorum permouere atque inflammare potuisset, quam
 si suis extollendis meritis domum suam iniuste publicatam,
 euerfam libertatique consecratam fuisse ostenderet? Quod
 uero *Ciceroni*, cum *Sullam* defenderet, accidisse diximus,
 idem etiam in *Plancii* causa ualet. Ipse *Cicero* sibi mole-
 stum esse, de quo accusatores prope plura quam de re reo-
 que dixerant, quod de se ipso dicturus sit, fatetur. Quod
 tamen, quoniam *Plancius Ciceronem* exsulem in Macedonia
 amicissime exceperat, ab hac causa non seiungendum erat.
 Vbi simul, quantum in eo efficere potuerit *Cicero*, quod ab
 oratore requirit, ut, quemcunque in animis hominum res
 et causa postulet motum, eum dicendo uel excitare possit,
 uel sedare uidemus. Pauci sane erunt, quibus, si perora-
 tionem legant, non idem accidet, quod *Augustino* in lectione
 L. IV. *Aeneidos*, et *Dioni Prusiansi*, qui *Xenophonte* lecto,
 huius cohortationibus sic commotus fuit, ut magnam pro-
 fuderit uim lacrumarum. Lubens orationem pro *Sextio*
 taceo, cuius accusator etiam nonnulla contumeliose in *Cice-
 ronem* dixerat. Venio ad ea, quae *L. Pisoni* respondit.

C 3

Piso

(15) Legendus est locus, quem et in *Demosthenis* oratione pro Corona
 contra *Aeschinem*, et in *Ciceronis* oratione pro *P. Sulla* sumtum
 inde reperimus.

p. 6. edit.
 Strub. c. 1.

Piso enim, homo, si *Ciceroni* fidem habemus, et quidni habeamus? crudelis, auarus, intemperans, libidinofus, omnibusque uitiiis foedatus grauiter in senatu de *Cicerone* conqueri, turpissimisque maledictis ipsum lacerare ausus est. *Cicero* autem, ut calumnias refutet, Consulatum cum consulatu, exitum ex urbe cum exitu, eodemque reditum cum reditu Pisonis comparat. Neque ea, quae obiecerat *Piso*, falsa tantum esse docet, sed mirum quantum se etiam a *Pisone* differre.

XIII.

Ne uero nimia in perlustrandis *Ciceronis* orationibus diligentia fastidium lectori moueam, ipsiusque iudicio permittam quaedam, ad aliud Plutarchi, dicam, quod sentio, mendacium transeo. Nam non facta tantum sua, uerum scripta quoque *Ciceronem* laudare clamitat. Quod cum dicit, parum abest, quin uel Plutarchum nunquam *Ciceronem* legisse, uel inuidiam ipsi caliginem obfudisse putem. Quomodo etiam

garrulus atque piger scribendi ferre laborem
scribendi recte,

maximam tamen gloriam in maximo uoluminum numero ponens non multa leuiter pertractet? Equidem, quantum memini nihil certe inueni, nisi fortasse quosdam liber *Ciceronis* de oratore offendat. In quo cum multa de suo in eloquentia studio dicit, tum exempla quaedam addit ex orationibus. Verum et modeste hoc facit, nec tam perfectionem, quam conatum quendam et adumbrationem aliarum uirtutum esse in suis scriptis fatetur, et hoc quod non meliora poterant proponi erat necessarium. *Crassi* erant per pauca, nihil *Antonii*, nihil *Cottae*, nihil *Sulpicii*. Dicebat melius quam scripsit *Antonius*. In *Cicerone* etiam nonne granditas *Sulpicii*, uis *Antonii*, *Crassi* lepor, et proprietas *Cottae* erat? *Hortensii* flores nonne effinxerat? Recte igitur agit *Cicero*, qui non tritam ac tenuem rhetoricorum praeceptorum cantilenam decantat, aut ligneam quandam et stramineam eloquentiam docet, si, inquam, orationes suas iis commendat, qui non clamore illorum, qui ad clepsydrum

latra-

c. 29.

c. 38.

latrabant, contenti essent, sed paullo longius uellent in eloquentia progredi. Multo quoque plura de industria sua, et labore, quem in eloquentia consumserit, quam de ipsa, quam affectus erat, facultate loquitur. Atque etiam in epistolis nonnunquam de suis libris scribit, sed ita, ut modestiam nunquam desideres. Si unquam in dicendo fuimus aliquid, scribit ad *Atticum*, aut etiam si unquam fuimus alias, tum profecto, (cum nimirum pro domo sua diceret,) dolor et magnitudo uim nobis quandam dicendi dedit. Ad *Leptam* uero haec sunt: Oratorem meum tantopere a te probari uehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, quicquid habuerim iudicii de dicendo in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi uideri scribis, ego quoque aliquid sum, sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantumdem de mei iudicii fama detraharur. (16) Alias quoque scribit ad amicos de suis scriptis, ut ad *Lentulum* de libris de oratore, de oratore ad *Trebonium*, ad *Dolabellam* de oratione pro *Deiotaro*. Nihil autem de sua laude addit. Quid? quod et *Paetum*, qui ipsi fulmina uerborum tribuerat, ridens refutat, et *Volumnium*, quod declamationibus careat, nihil damni facere affirmat, et quanto studio *Cassium* defenderit, mauult ipsum ex aliis quam ex se ipso audire. Saepissime uero illud, quod suo imperio solum par habuit *Populus Romanus*, ingenium, ille disertissimus, ut *Catullus* canit, *Romuli nepotum*, suam in eloquentia facultatem extonuat. Cuius plura exempla delegissem, nisi nota esse arbitrarer. Paucis contentus ero, quae mihi scribenti in mentem ueniunt. Si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum, - - qui neque usu fatis et ingenio parum possum

Ep. ad Attic.
L. IV. 2.

Ep. ad Fam.
L. VI. 18.

L. I. ep. 9.
L. XV. 20.
L. IX. 12.
L. IX. 21.
L. VII. 33.
L. XII. 7.

p. Archia. c. 1.
p. Quint. c. 1.

(16) Nemini, opinor, superbum hoc aut gloriosum uidebitur, nisi fortasse idem Boelauium reprehendat, qui de praefanti sua Longini uersione eodem iure, quo Cicero de oratore, et iisdem prope uerbis dicit: J'ai pourtant fait tous mes efforts pour la rendre aussi exacte, qu'elle pouvoit l'etre. Quelque petit donc que soit le Volume de Longin, je ne croirois pas avoir fait un mediocre present au public, si je lui en auois donne une bonne traduction en notre langue. Je n'y ai point epargné mes soins, nimes peines. Vid. eius praefat. ad Longinum.

Phil. II. r. sum - - in hac mea mediocritate ingenii - - noli tam iniu-
 p. Murena stus esse, ut cum tui fontes uel inimicis tuis pateant, nostros
 c. 4. riuulos etiam amicis putes clausos esse oportere. - - in qua
 p. Muren. c. 13. re (eloquentia) si satis profecissem parcius de eius laude di-
 p. L. Manil. cerem - - si quid etiam dicendo consequi possum - -
 c. 1. Quid? ergo in te haec sunt omnia. Vtinam quidem essent!
 rerum tamen ut esse possent, magno studio mihi a pueritia
 Diuinat. c. 13. est elaboratum.

Ohe! iam satis est, ohe! libelle.

Apparebit, credo, ex his, quantum a uana sui ostentatio-
 ne abhorruerit Cicero, quantum a Lipsio (17) abfuerit,
 Theophrasto Paracelfo, (18) Thoma Campanella, (19) Va-
 lentino Weigelio (20) aliis, qui, audacia elati, limatulo po-
 litu-

- (17) Lipsii in notis ad Tacitum haec sunt. Parum abest, quin hoc loco dignum me inaurata statua putem, qui e Tacito tam illustre Glossema sustuli, ut uix simile quidquam lingua latina habeat. Vid. Tacitum, ex ed. Plantin. p. 735.
- (18) Hunc palam dicere non erubuisse aiunt, stultissimum sui capilli-
 tii pilum plus scire, quam omnes Galeni sectatores, barbam-
 que suam plus experimentorum habere, quam omnes, quae essent
 academiae, Vid. Saldenum de libr. usu et abusu, p. 316. Super-
 bam uero eius orationem ex Reimanno affert Koecherus in libro
 de idololatr. litter. p. 177.
- (19) Thomas Campanella, codicem, quem ediderat, metaphysicum,
 philosophorum biblia, sapientiam scientiarum, resolutionem
 omnium quaestionum, philosophiam uniuersalem appellauit; et
 Valentinus Weigelius (20) superbum hunc libro suo titulum
 praefixit: Studium uniuersale, hoc est, quidquid omnino ab ex-
 ordio mundi usque ad eius finem uixit, quicquid scriptum aut
 doctum, uel etiamnum scribi et disci possit, quid recte discere
 ac docere sit etc. Vid. eund. Koecher. p. 182.

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

Legat, si quis plura desiderat, Michalem Lillienthalium in Ma-
 chiaucllismo litterario, §. XVI. et Ioh. Burchardi Menckenii Ora-
 tiones

lituloque suo ingenio plaudunt, et illud lepidissimum poetæ:

noris NOS DOCTI fumus,
 in ore habent. Cicero sane tantum abest, ut simiarum more,
 quas suos, licet deformes, foetus, pro formosissimis admiri-
 rari aiunt, suos libros adamarit coeco amore, ut teste *Quin-* L. III. c. 6.
tiliano, aliquos iam editos libros, aliis postea scriptis damnare
 non dubitarit. Ipse enim et *Atticum Varronemque* monet, ad Attic. L.
 ut, cum inhibere remos, idem esse putasset ac retinere, mi- XIII. ep. 21.
 nusque apte usurpasset, illud emendaretur, et ex oratione Orat. c. 30.
 pro *Roscio Amerino* quaedam tanquam immatura uituperat.
 Adeo uerum putauit, quod *Quintilianus* dicit, superuacuum
 fore in studiis laborem, si nihil liceret melius inuenire prae-
 teritis (21).

Pauca adhuc restant, quae cum contra *Ciceronem* esse XIV.
 uideantur, explicanda sunt. Accusant *Ciceronem*, quod et
 ipse de suis rebus scripserit, et a *Luceio* tantopere idem con-
 tenderit. Ad illud facilis est responsio. Non ἐγκωμιστικοί,
 sed ἰσορικοὶ erant, quos de Consulatu ediderat, libri. Neque Ep. ad Attic.
 D ma- L. I. 19.

tiones de Charlataneria eruditorum. Salsè praeterea hos ho-
 mines exagitaui Philemon, Comicus, cuius uerba huc adscribere
 non iniucundum erit:

Σὺ γὰρ τίς ἐσσίη; εἶπε μοί παρρησία.
 Σὺ λαλεῖς ἐν ἀνθρώποισιν, ἔκ ἀνθρώπος ᾧ;
 Τὸ δ' ὄλον περιπαθεῖς; ἢ τὸν αὐτὸν ἀέρα
 Ἐτέρος συνέλκεις, εἶπέ μοι τοῖστος ᾧ.

vid. doctissimum Gathakerum, in not. ad Antoninum, p. 328.

- (21) Memoratu digna est uox Aeneae Sylui Episcopi Romani, deinde
 Pii II. nomine insigniti seni magis quam iuueni credite, et
 Pontificem pluris quam priuatum aestimate, Aeneam reicite,
 Pium recipite. Inuenis enim quaedam, quae aetate prouectior
 damnabat, scripserat. Vid. Saldenum de libror. usu et abusu,
 p. 76.

magis est reprehendendus *Caesare*, qui commentarios de bellis, quae gessit, scripsit, aut *Xenophonte*, qui expeditionem *Cyri*, cui affuit, litteris consignauit. Quodsi uero quosdam, ut *Plutarchum*, ille uersus,

Cedant arma togae, concedat laure laudi (22)

nulla alia de causa offendat, quam quod nimiam *Ciceronis* gloriae cupiditatem indicet, illos ipsam suadeo, *Ciceronis* defensionem legere. Nam et in *Philippica* secunda, et in oratione contra *Pisonem* inprimis ea inuenient, quae nisi dura illa, ut poeta ait, messorum ilia habeant, uix concoquent. Euoluamus potius epistolam, quam *Cicero* ad *Lucceium* dedit.

c. 8.
c. 30.
ad Fam. L.
V. ep. 12
ad F.L.I. ep. 9.
ad Fratr. L. I.
ep. 1.
in uitioso Ci-
ceron. imit.
S. 23.

Quae quidem adeo uenusta est, adeo elegans, ut, illas ad *Lentulum*, et ad *Quintum* Fratrem semper excipio, uix aliam legerim, quae uel diligentius elaborata, uel accuratius scripta sit. Prius uero, quam ipsam rem aggrediar, non inutile erit *Dormmeiero*, alias uiro bono, respondere, qui, quod *Cicero* saepius in hac epistola uoculas neque enim repetierit, inique fert. Quasi non negligentia epistolis pro cultu sit, aut naeus in formoso corpore pulchritudinem augeat. Etenim, quis serio dicat, *Ciceronem*, in quo tanta erat orationis copia, non facile alio modo dicere potuisse? Alia igitur causa sit, cur illud omiserit, necesse est. Quae nemini, qui diligenter ueteres scriptores, *Ciceronem* praesertim legit, erit ignota. Equidem illud non inter *παροράματα δι' ἀμέλειαν*, sed inter illa *ἀμαρτήματα ἐκβασία*, de quibus *Longinus* loquitur, refero. Nam ex *Xenophonte*, *Thucydide*, *Virgilio*, *Pindaro*, patet, quantam illi optimi scribendi artifices gratam negligentiam, quam obscuram adhibere diligentiam maluerint. Est *Homeri* in *Odyssaea* insignis locus, uehementerque semper laudatus, ubi in quinque uersibus uerbum *τήκομαι* quinquies repetit. Atque etiam ex *Liuiio* et *Cice-*
rone

Seft. XXXIII.

T. v. 204.

(22) Mauult *Petrus Victorius* legere, linguae, cum praesertim *Plutarchus* ita hunc uersum transtulerit, *ὡς τὰ σπλα ἔδει τῆ τη-βέννω, καὶ τῆ γλώττη τὴν θριαμβικὴν ὑπέκειν δάφνην*. vid. illius uariar. Lectio. L. V. c. 24.

rone multa ejusmodi possem proferre. Vnum adscribam. p. Milon. c. II.
 - - quod multis antea in causis quaesitum est. Iniurias factus esse constat, et id est, quod Senatus contra rempublicam iudicauit, ab utro factae sint, incertum est, de hoc igitur latum est, ut quaereretur. En tibi aliud ex *Liuiio*. Ea frequentior fama est, quam cuius *Piso* auctor est, in Auentinum secessionem factam esse. Quae quidem negligentia, cuius,

L. II. c. 32.

aurem qui modo non habet Batauam, propter elegantiam, quae latet, gratior erit, quam anxia in uariando morositas (23). Sed reliqua uideamus. Optime

Martial.

D 2

noue-

- (23) E Xenophonte gratam eiusmodi elegantiam in ἀνακλογίῳ obseruauit, et Ernestius, Vir nunquam sine summa laude nominandus, in Memorab. Socr. L. I. c. 3. ac L. IV. c. 3. et Bachius, V. C. in libr. de administ. domest. c. 1. f. 14. et c. 4. f. 20. Equidem etiam in Theophrasto περὶ κολακείας raram eiusmodi constructionem obseruauit, et inprimis Mureti epistolam ad Horatium Cardanetum (L. I. ep. 33.) dignam censeo, quae ab omnibus harum literarum studiosis legatur. Nec poeniter quaedam, quae in scriptoribus Latinis obseruari, adscribere. Id itaque indulgentia tua restituere desiderant, ego tamen aestimans nouum fieri debere, uideris mihi desiderio eorum indulgere posse. Plin. Ep. 34. L. X. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus uiuere. Vid. Corn. Nep. Fragmenta a Borio collecta, c. 5. Quae uero praecipue ob iterationem repetitionemque eiusdem uel uocis uel syllabae apud ignaros male audiunt exempla, ea ex *Liuiio* collegit Fr. Gronouius, in not. ad c. 22. L. XXI. ubi simul monet, ne iudicio aurium in historicis emendandis nimium fidamus. Nec in poetis eiusmodi exempla rara sunt, (*Virg. Aen. I.*) sale saxa fonabant. (*Aen. II. 199.*) Hic aliud maius miseris, multoque tremendum obicitur magis, ubi *Seruius* notat, apud ueteres a similibus incipere non uitiosum fuisse. (*Aen. III. 183.*) Sola mihi tales casus *Cassandra* canebat. (*Plaut. Menaech. act. 2. f. 3. v. 53.*) Quasi supellex pellionis palus palo proximus est. Vbi uide doctissimi *Taubmanni* notas. Hanc sane uenustam figuram a posteris inepte fastiditam esse, queritur *Turnebus* ὁ πᾶν, L. VII. c. 19. et *Seruius* haec inquit, compositio iam uitiosa est, quae maioribus placuit. Videat igitur *Iuuenalis*,

nouerat *Cicero*, quantum sibi respublica debeat, nec ullam unquam obliuionem sua merita esse obliteraturam, facile poterat praeuidere. Magni uero refert, a quo quisque laudetur. Nam ut ab imperito pictore turpe est pingi, ita ab infcio homine praedicari non admodum optandum. *Plinius* quidem *Verginio Rufo* hunc supremum felicitatis eius cumulum scribit accessisse laudatorem eloquentissimum, consulem *Cornelium Tacitum*. *Alexander* autem ille, quem magnum uocant, cum ad tumulum *Achillis* adstitisset, o fortunata, dixit, adolescens, quae tuae uirtutis praeconem *Homerum* inueneris. *Turennius* uero et *Henricus*, rex Galliae, nonne praecipue felices sunt, quod ab elegantissimis hominibus, ille a *Fleschierio*, hic a *Voltario*, laudati sint. Iam uero *Luceius Ciceronis* aetate inter historicos primas tenebat. A quo ut de rebus suis in Consulatu gestis, et de exsilio redituque singularem librum conficeret, petebat *Cicero*. Neque hoc, credo, uitio *Ciceroni* quisquam dabit. Quis enim *Ludouicum*, regem Galliae, reprehendat, quod *Voltario* illud dederit negotii, ut res a se gestas memoriae prodaret? At illud, opinor, reprehendunt, quod a *Luceio*, ut uehementius etiam, quam fortasse sentiat, ornent ea, et in eo negligat leges historiae, contendat. Qui si recte uerba *Ciceronis* considerassent, aliter iudicarent. Primum enim per *ro* leges

nalis, quo iure uersum illum *Ciceronis*, o fortunatam natam me consule Romam! ob earundem syllabarum iterationem, irrideat. *Sat. X. v. 122.* Nescio enim, an de hoc eadem dici possint, quae poeta de grata negligentia in picturis cecinit,

A ces petits defauts marqués dans la Peinture,
L'Esprit avec plaisir reconnoit la Nature.

Caeterum non possum non quin *Plutarchum* hac occasione laudem, qui solus prope ex antiquis *Ciceronem* egregium poetam fuisse fateatur. Quod multi etiam alii recentioris aevi contra *Senecam*, (de ira *L. III. c. 37.*) et *Martialem*, (*L. II. epigr. 89.*) demonstrauere. *Middletonium* sane, at quantum *Angliae* decus! in the history of the Life of *M. T. Cicero*, praeclare multa de hoc disputare meministi. Cuius uerba, si liber ad manus esset, adscribere non poeniteret. Io, autem *Ferrarii* de poesi *Ciceronis* libellus, quam rarus et ineptus simul sit, docet *Iuglerus*, *V. C.* in dissertatione de poesi *Ciceronis*, a. C. n. 1739. scripta.

leges historiae negligere, non illud intelligit *Cicero*, ut fidem historici *Luceius* uiolet, ut mentiatur, ut falsa effingat, sed ut ornatus, ut copiosius scribat, ut floridiori dicendi genere utatur, quam historia postulat, quae modico ornatu contenta est. Qua de causa etiam illud addit, erit, mihi persuadeo, materies digna facultate et copia tua. Nondum satis scriptionis hoc genus latinis litteris illustratum erat. Ex *Luceii* uero historia, quae cum magnitudine rei splendorem uerborum coniungat, cupit *Cicero*, ut quid in historia scribenda elegans, quid uenustum, perdiscant Romani. Quod etsi non tam claris uerbis expressit, facile tamen, si aequè iudicamus, intelligi potest. Deinde probe notandum est, *Ciceronem* ad *Luceium*, i. e. ad uirum, quocum familiarissime uiuebat, scribere. Quis autem facetum *Ciceronis* ingenium ignorat? *Caesar* quidem *Ciceronis* iocis adeo delectatus est, ut qui ad ipsum faceta illius dicta praeferrent, magnam inirent gratiam. *Tiro* autem tres libros de iocis, quibus utebatur inter amicos *Cicero* conscripsit, (24) et *Macrobius* nonnullos refert. Solebat sane *Cicero*, in litteris ad amicos, libere iocari. Nam quid uenustius illis ad *Paetum*, ad *Trebatium*? quid elegantius? Magna igitur ipsi iniuria fieret, si quae iocose scripsit nos aliter interpretemur. Neque minus offenderemus *Flaccum*, si, quod se improbo iracundiorem *Adria* per iocum appellat ipsum fuisse hominem impotentem, acerbum, crudelem, feruentem diceremus. Quis etiam *Ciceronem* haec serio putet dixisse? amoris nostro plusculum etiam, quam concedit ueritas, largiari - - qui semel uerecundiae leges transierit eum bene et nauiter oportet esse impudentem, aut illud, esse subinane in se aliquid et non ἀφιλόδοξον? Nulla profecto alia de causa *Cicero* epistolam illam ad *Luceium* ualde bel-lam uocauit, quam, quod tantis illam iocis persperserit. Quod qui non obseruat, miremur, si in leuissimis rebus ita labatur, ut magis uideatur miserandus, quam irridendus?

Atque

- (24) Disputant de his libris Quintilianus et Fr. Vauassor, de quibus vid. dulcissimi Patris disputationem de uirtutibus Tironis, Vitembergae ao. 1729. habitam.

Brut. c. 64.


ad Fam. L. IX.
16.Saturn. L. II.
c. 3.

L. III. od. 9.

ad Att. L. II.
ep. 17.ad Att. L. IV.
ep. 6.

XV.

Atque ita tandem, mi *Cicero*, causam tuam defendi. Summopere uellem, ut uires uoluntati responderint. Sed praeftrinxi nominis tui splendor animi mei aciem, offecit mentis luminibus altitudo gloriae. Vnum me consolatur. Neminem credo neque nocere tibi uituperando neque laudando prodesse. Tota enim uita tua in laboribus gloriosis consumpta est. Tenuisti, quem ingressus eras, cursum, donec in absolutae perfectaeque gloriae portum peruenisti. Comprimant animos, sedent arrogantiam, remittant spiritus, qui, cum propter inertiam eadem assequi nequeunt, tuae laudi inuident. Nihil efficiunt, nemini persuadent. Quis enim maledicto erit locus, cum laus omnia occupet? Illos detestantur boni uiri, te mirantur, illos uituperant, te laudant, illis succensent, te diligunt. Neque ulla erit tam immemor posteritas ullae unquam tam ingratae litterae, quae tuam gloriam non immortalitatis memoria prosequantur.



VIRO
DOCTISSIMO ET MAXIME VENERABILI
IO. CHRISTIANO KLOTZIO,

L. L. A. A. M.

ET

SACRORVM BISCHOFFSWERDENSIVM ANTISTITI
MERITISSIMO,

S.

FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS,

AVGVSTI GYMNASII GORL. RECTOR.

Multa cum laude ex Gymnasio nostro digreditur
in Academiam filius Tuus, ingenii, ad decus
excitatoris, dotibus, industria, morumque modestia et
integritate spectatissimus. Quem cum mihi, ante hos
duos annos, limandum poliendumque permitteres, au-
gurio haud uano ductus, ominabar, ipsum spem, de se
conceptam, esse impleturum. Non impleuit modo,
sed, dicam, quod res est, superauit quoque. Quas
enim in ipsum liberali manu contulit natura fau-
trix, ingenii vires tantae sunt, quantas uix in paucis
aliis, quos per uiginti et duos annos in hoc Gymnasio
erudire mihi contigit, obseruaui. Neque felicissimo
ingenio defuit industria, quam in Romanorum Grae-
corumque monumentis legendis, in eloquentia, et reli-
quis politioris humanitatis disciplinis, dum apud nos
fuit, tam laudabiliter consumsit, ut, progressionem di-
scendi, praeclara doctrinae exquisitoris ornamenta sit
con-

QX 110694



consecutus. Maxime uero artis poeticae, ad quam naturali quadam ingenii ui et bonitate factus formatusque est, ea identidem dedit documenta, quae uel ipsis harum lautitiarum peritis existimatoribus probantur, id quod threnodia cineri Zittauensi sacra, nuper typis impressa, cumulatus testatur. Ingenium sine bona mente, doctrina sine uirtute quid est aliud, quam anceps gladius in manu furiosi? Felicem ergo filium, cuius ingenio data est par uirtus, ad quam, manu quasi prehensus, humanissime a Gymnasii nostri magistris deductus est. Neque enim recte agendi uoluntas uel minis, et acerba seueritate, uel ethica bacularia et argumentis ligneis, quid rides? excitatur, sed rationum momentis, liberaliorique et amica admonitione. Laetabere ergo, VIR Maxime Reuerende, tot his aliisque filii, optime formati, ornamentis, quibus, nullus dubito, quin in academiis plura maioraque sit additurus. Gratulor Tuam Tibi felicitatem, prorsus inuidendam, gratulor filio diligentiae, quod nunc offert, specimen, in quo uix uerbum mutauit, quodque totum, ut suum, sibi merito uindicat. Opto, ut ex Gymnasio nostro prodeant in posterum non nisi iuuenes, Klotzianae doctrinae industriaeque aemuli. Quibus uale, VIR maxime Venerabilis, et me amare perge. Gorlicii, cl^o b^o ccLVIII.
d. X April.




mt

ULB Halle
001 529 544



3



B.I.G.

Farbkarte #13

QR. 524,58

B. m. 749
IIc
694

PRO
M. T. CICERONE
ADVERSUS
DIONEM CASSIVM
ET
PLVTARCHVM
DISSERTATIO

QVAM
GYMNASIO GORLICENSI SVPREMVVM VALE
DICTVRVS
PVBLICE PROPONIT
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS
PIAM GRATAMQVE MENTEM
TESTIFICATVS
CHRISTIANVS ADOLPHVS KLOTZIVS,
BISCHOFFSW. MISN.

GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHFRERIANA

